DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUÆDAM DE

FEBRE TYPHO

COMPLECTENS.

Auctore J. Thompson

INTER omnes morbos, quibus obnoxium est genus humanum, nullus, quam Febris, majorem sibi vindicavit attentionem; et Medici primi nominis, omni fere in ævo, ad ejus naturam detegendam graviter sese accinxerunt. Hinc proferri tam diversas inter se videmus opiniones, quas quisque suam ad tuendas operam dedit, idque summis viribus. In hanc autem arenam descendere mihi

in animo non est; sed observare licet, rem adhuc latere, nec per longum tempus forsan inventum iri ullum, qui velamen, quo in tanta caligine obscuratur, satis sive prorsus tollat. Porro, in hoc explorandi campo, multum frustra susceptum esse laborem, ingens acumen, ingenium, et tempus consumpta fuisse videtur, in rebus parum utilibus. Facilius enim inducti sunt auctores suas opiniones de febre tueri, quam ad ejus phænomena attendere atque perscrutari. Ita variant rationes medendi et medicamentorum usus, quæ non modo inepta et inutilia, sed quoque periculosa sunt.

Febres CULLENUS celeberrimus dividit in Intermittentes et Continuas. Illæ similes habent paroxysmos, diversa intervalla cum apyrexia evidente, et certum tempus accessionis, quibus dignoscuntur. Hæ autem apyrexiam nullam agnoscunt, sed "*cum remissionibus et exacerbationibus, parum licet notabilibus, perstant.*"

Typhum, ex iis unam, quæ præsertim multis in partibus Europæ eodem tempore Epidemica

sæviebat, pro argumento dissertationis meæ selegi, quam breviter absolvam. Hanc Epidemicam, quæ Britanniam iisdem annis maxime infestabat, Angliam, nempe, Scotiam, et Hiberniam magnam inferebat stragem, mihi crebræ occasiones fuerunt videndi, dum in hac regione medicinam faciebam, milites aliosque multos adorientem.

HISTORIA MORBI.

Hic morbus eodem modo haud semper aggreditur; nonnunquam fortibus et subitis rigoribus, qui subito recedunt, et cutem calidam et aridam relinquunt, cum capite maxime dolente. Interdum caput leniter dolet, per unum alterumve diem neque accedunt rigores, sed suffusi sunt oculi, facies rubescit, et ita mutatur vultus, ut aliquid mali inhærere corpori videatur, et rigores demum et alia signa superveniunt, quæ ægrum male se habere luculenter docent. Haud raro sensu fri-

goris corripitur, et lenibus tremoribus per totum corpus transeuntibus, capitis dolore, qui cum ventriculum adortus est illico vix sentitur. Hæc signa abeunt redeuntque, per aliquod tempus, et sæpe languescit totum corpus, quasi defatigatum; collapsus fit vultus, et pallidus, hebescunt oculi, valde imminutis corporis viribus. Haud infrequenter dolor, qui prius abiit, iterum redit, et fixus circa frontem manet; ventriculus quoque pressu dolet; fastidium cibi, nausea et vomitus, cum lingua albida, accedunt; sensus est ponderis, aut anxietatis circa præcordia; interdum suspirium et spiritus frequens; frigus dorsi; et circa lumbos dolor, et musculi circa articulos majores præcipue, quasi contusi sentiuntur, et defatigati: pulsus frequens et debilis, ad frequentiam varius, et ad vim irregularis. Hæc signa comitatur sensus generalis molestiæ, illi haud absimilis, quæ ex itinere faciendo pendet, aut magna defatigatione. Quamvis vero fere semper perstant rigores lenes, et sensus frigoris, p æter naturam tamen calescit

et arescit cutis, et frequentes etiam sunt pulsus, et debiles, et lingua in superficie albescit.

Sed rarissime qui rure medicinam facit, ægrotantes sub primo impetu videt, et multi dies, plerumque a tertio ad octavum usque, præterierunt, priusquam auxilium petant. Mihi tamen, inter milites medicinam facienti, multæ erant ægros videndi occasiones, sub primis usque febris diebus.

Signa ita descripta interdum citissime se ostendunt; sed plerumque insidiose accedunt, et spatium duorum aut trium dierum sæpius occupant. Post hoc vero tempus, febris manifeste se prodit, et ingravescunt signa, quæ febre semper prius mitia erant. Cerebrum nonnunquam, affici videtur, et de gravi capitis dolore æger præcipue queritur; et quamvis plus minusve intendatur, tamen rarissime omnino cedit; sed motus omnigenus, lenissimus etiam in lecto, eam molestiam auget, et arteriarum pulsus, qui ad tempora, nec non cranii basin, et ad utrumque, frequenter referuntur. Ma-

gis suffusi sunt oculi, qui pariter humescunt ac rigescunt, et quasi tarde moventur; eosdem sursum vertere admodum ingratum æger sentit, nec quæ circa fiunt, multum curat. Pupillæ vero haud parvæ sunt, neque tali modo se contrahunt, quali lucis intolerantia, quæ semper adest, credere induceret, neque eodem, quo facere solent, sub cerebri inflammatione acuta. Præterea purpurascit vultus, qui cum oculis vix mobilibus maximum induit aspectum languoris atque debilitatis.

In hoc stadio autem rarius occurrit surditas, sed æger potius plus justo audit, quod valde ingratos sonitus omnes reddit: sed plerumque de uno alterove malo haud queritur. Non eodem saltem modo, ac de tinnitu aurium queri solet, qui quasi undarum murmur excitans, ex vicinarum arteriarum pulsu, præsertim pendet, aut partim e spasmo tympani parvorum musculorum. Neque gustus et olfactus organa vitiis prorsus sunt immunia; quia et nares rebus mucosis et aridis sufferciuntur, quæ male olent; et os et lingua

viscosis et nigris obducuntur; et cum generalibus functionibus vitiatis concurrunt ad ægrum turbandum et vexandum. Neque minus laborant motus voluntarii, qui præter generalem debilitatem, doloribus musculorum magnorum præcipue, pene intolerabilibus, et perpetuo perstantibus impediuntur, qui sub febrili inquietudine et anxietate includuntur, et ab iis bene dignoscuntur hominibus qui talem molestiam inter ægros unquam conspexerunt, ipsimetque quondam affecti eam, nunquam obliviscuntur. Qui ad musculos referuntur, peculiares et ingrati sunt sensus maximæ defatigationis, vel contusionis, animali rosioni haud absimiles, et interdum quasi pars mucrone pungatur, aut scalpello cædatur. Magnis musculis ita laborantibus, æger meliorem credit situm omnem, quam quo jacet, ideoque in lecto se perpetuo vertit; otiosum tamen situm comperit nullum, qui opem inferat; et motus ita frequentes, morbi inquietudinem augent, quam spe vana sublaturum esse putavit. Porro cutis,

prout tactus organon, plus minus afficitur, et quibusdam in exemplis dolor tactu lenissimo cietur. Quin et digitus, inter pulsum explorandum, carpo applicatus, haud parvum dolorem inducit.

Morbo progrediente, æger difficillime spiritum trahit, et frequentes sunt respirationes: cor inæqualiter micat, sed semper fere debiles sunt pulsus et frequentes. Vitalibus functionibus ita affectis, dolores omnes circa caput et præcordia multum augentur, et animales functiones, prout illæ plus minus plectuntur, eodem modo laborant; et sensus omnes præter solitum turbantur. His præsentibus, non fieri potest quin ventriculus male se habeat; et ideo inducuntur nausea et vomitus, quibus junctis constrictionis et oppressionis sensus accedit. Inde mala concoctio, anorexia, abdomen tumidum, alvus astricta; et omnes secretiones et excretiones valde perturbantur. Ex alvo enim astricta, tum excretiones, tum secretiones multas subeunt mutationes, quæ ex fæcibus nigris et male olentibus satis patent, et spiritus totius-

que corporis odore peculiari, et morbida linguæ specie, et fluidis hepatis, renis, aliorumque organorum, morbide secretis. Sed præcipue, febre urgente, imminuntur secretiones, et urina parca et rubra est, sitis inexplebilis, fæces induratæ; abdomen tenditur, et pressu dolet: immo pondus stragulorum vix sine maxima anxietate toleratur. Sed ex functionibus naturalibus læsis, inferuntur capitis dolores, et pectoris. Hæc signa plus minus urgent, rarius desunt, ad levandum potentia remedia postulant, et si negliguntur, maxime ingravescunt. Epigastrium vero non modo admodum tensum fit, sed tensio etiam plus minus extenditur ad alias partes abdominis: et anxietas magna, vomitus perpetuo accedit; quod sitis bibere cogit, instanter rejicitur: et pulsus ex forti et valido debilis evadit. Hæc autem urgentia signa, propriis remediis amoventur, et febris progredi relinquitur solito in more.

Morbus in plerisque ægris prompta ratione tractandi desinere invenietur, sive subito decli-

nare; quo consilio plerumque evitantur posteriora et magis periculosa stadia febris. Quando vero cunque remedia levamen morbo tantum inferebant, sine febrem prorsus sistendo, tunc manebat actio febrilis ad diem quartum decimum, et præter solitum notabilis erat delirio; paulo post profundus accedebat somnus, quem die proximo mitia indicia excipiebant. Minores erant et pulsus et calor, cutis mollis, lingua leniter humida, et urina, pro rubra et parca, copiosa evadebat, et sedimentum lateritium deponebat. Surditas etiam sæpe accedit, et somnolentia; et æger quamvis diu dormiverit, tamen expergefactus est mente integra. Denique die uno alterove, alvus sponte solvitur, cibi appetitus redit, et naturalis cutis halitus. Ita non modo morbus gradatim et tarde, verum etiam leniter et tuto abit, sine aliqua nota insigni, nisi delirio et somno. Aliquando somnolentia quoque magna, et surditas sine delirio, circa quartum aut quintum decimum diem observan-

tur, dum subito mitescunt signa, et paulo post omnino subsidunt.

Sin morbus, sive medici inscitia, sive remediis ineptis, haud abscedit, sed durat, multo pejora oriuntur indicia, quæ magis magisque ingravescunt, et in nono aut octavo die, serius ocyusve, delirium aggreditur. Æger, cum e somno est excitatus, interdum aliquamdiu confusus apparet, et animi facultates revocare nititur, cujus haud infrequenter conscius est. Deinde secum sæpe mussitat, et insipienter loquitur. Hoc delirii est initium. Mens nunc, febre progrediente, multo plus alienatur, et hæ alienationes longius durant, et ad eum excitandum voce fortiori opus est, donec adeo profundum est delirium, ut nihil id interrumpere, queat. Dum infelix sana mente fruitur, de dolore maxime queritur, multum murmurat, et e gravissima molestia, quæ febres semper comitatur, sæpe in lecto se vertit. Sed cum profundius est delirium, plus minus anxia est facies, et quietus in lecto jacet, et sese melius ha-

bere dicit; dum medico experto bene notum est, multo pejora esse omnia, de quibus nunc ex delirio haud queritur. Febris delirium multo mitius est, quam Phrenitidis; in hujus furore corporis vires maxime augentur, in illius, fere semper imminuuntur. Tale autem febris stadium non mihi unquam occurrebat inter milites, quia prompto medendi consilio, cum idoneis remediis, primis fere diebus morbus vincebatur; sed si ægri nullum habent auxilium, sine dubio hoc stadium delirii et collapsus, superveniet. Præter delirium jam descriptum, admodum exhauriuntur corporis vires, et animales functiones præcipue laborant: sensus enim et motus voluntarii valde imminuuntur. Vultus, circa genas præsertim, rubescit; eæ tamen non eundem habent ruborem, ac præcedente stadio, sed potius purpurascunt, et speciem subfuscam induunt. Præterea animus ac corpus pariter afficiuntur, atque torpescunt, adeo ut solitis muneribus, neque ille, neque hoc perfungatur. Ob stuporem, delirium, et surditatem, quibus in-

felix æger nunc implicatur, eum excitare perdifficile est, ut interrogationibus respondeat. Adeo imbecillus est animus, ut quæstionem vix comprehendat, aut ad aliquam rem breve tempus attendat. Cum excitatur, se nihil molestiæ sentire dicit, nisi forsan lenem capitis dolorem, et generalem debilitatem: iterumque secum mussitat, et in torporem relabitur. Memoria nunc valde deficit; oculi hebescunt, et omnia circa faciem, summam fatuitatem, debilitatem, et oppressionem indicant. His præsentibus, pulsus, quamvis mollis, debilisque, tamen plus minus durus, et frequens est, et enumeratur inter centum decem, ad centum triginta usque. Corporis calor, ingravescentibus delirio et sopore, generaliter subsidit, nonnunquam ad eundem gradum usque, ac in sanitate sentitur, et infra eum; interdum frigescit corpus, adeo ut, nisi externo calore adhibito, multum periculi vitæ adsit. Vultus nunc omnino pallescit, quasi subfuscus, et corporis cutis universa colorem eundem participat. Denique, in hoc

stadio ultimo, prorsus cessant linguæ et faucium secretiones, ideoque lingua fit arida, loquela difficilis; et os totum subfusca viscosa obducitur materia, quæ dentibus et linguæ firmiter adhæret. Supinus jacet æger, cruribus sursum retractis; lenes spasmi circa faciem, et circa crura et carpos subsultus tendinum accedunt. Alvus sponte solvitur, et fæces, urina, sine voluntate redduntur, nigræ et male olentes. Pulsus debilis, est, et intermittit; spiritus laborat; deglutitio difficilis est, et perfici vix potest; oculi concavi sunt; totus vultus collabitur; facies Hippocratica induitur; omniaque, ita imminutis functionibus vitalibus, valde aucta generali debilitate, adstare mortem indicant. Nihilominus vero in primo aut secundo morbi stadio, qui mature auxilium medicum quærebant, omnes fere ægri, bona corporis constitutione præditi, idoneis remediis, ad sanitatem facile et tuto redierunt. Sin contra, haud parum temporis præteriit, priusquam medicus ægrum viderit, et sine tempestiva ope morbus

ultra quatuor decem dies duravit prognosis multo magis infausta. Si præsertim urgent delirium, sopor profundus, et surditas; si animi imbecillitas tanta est, ut nihil fere ejus attentionem occupet, aut excitet; si perdifficilis est deglutitio, cum imperfecta loquela, spem bonam præsagire vix licet. In quibusdam vero exemplis, circa vigesimum diem, hæc signa mala gradatim abeunt, et magna cura et circumspectione, et idoneis remediis, sanitas, quamvis tarda, redit. Nihil disperandum est, dum deglutitio facilis manet.

CAUSÆ REMOTÆ.

Quæ proclivitatem morbo dent, dictu difficile est, sed plurima recensentur. Quæcunque imprimis debile aut laxatum reddunt corpus, sive genus nervosum irritant, sive cordis actionem præter solitum tardant, aut in mentem agunt, inter prædisponentes causas habentur. Inde fames;

diæta tenuis, aut male nutriens, et parca; tempestas humida et frigida; aër impurus; gravis labor, aut perpetua ignavia cum immunditie; atque deprimentes animi affectus, quæ omnia vires corporis exhauriunt, et alicui malo corpus obnoxium reddunt. Sexus uterque pariter proclivis est, sed juvenis circa ætatem puberem ad annum vigesimum usque, magis obnoxius est quam qui prima aut provecta ætate gaudet. Robustus homo quoque, quam debilis, in morbum facilius incidit. Hæc jam enumerata proclivitatem haud magis dant huic, quam aliis morbis; sed, corpore ab iisdem debilitato, cum contagio conspirant, ex quo hic epidemicus præcipue pendet. Patet enim, quæ ex homine morbo implicito oriuntur, effluvia eundem inducere posse; et principem causam excitantem esse contagium. De cujus natura sive physica, sive chemica neque quomodo primum gignatur, dicere haud facile est. Materia enim contagiosa ex partibus valde minutis constat, quæ unamquamque investigationem adhuc effugerunt;

ideoque latent, et forsan diu latebunt. Maximæ vero sunt vires, quibus pollet, morbum excitandi, adeo ut perpauci sint, qui ex hoc fonte originem non ducunt. Porro quo magis causæ prædisponentes, jam dictæ, cum viribus contagii simul conjunguntur, eo acrius contagium fit, quo morbus gravior infertur. Hoc autem ex aëre impuro, qui per cubicula angustiora transit, et proclivitate quadam maxime pendet. Contagium, hisce in locis, quasi condensatur, et parietibus, supellectili, omnibusque spongiosis, facillime adhærescit. Hinc pauperes, quibus cubicula ampliora, et aër liber desunt, magis laborant. Hæc materia contagiosa vel e pulmonibus, vel cute, dirissimos effectus transmittit, omnibus consentientibus; atque per aëra diffusa, morbum revera excitat. Quo magis delirium urget, eo magis contagiosus fit morbus, omnesque fere adoritur. Hoc enim tempore, quo ægrotantes maxime delirant, plus solito fœtent effluvia, quæ ex cute, pulmonibus, et dejectionibus pariter oriuntur. Prius-

quam morbus se patefaciat, plus minus temporis latet contagium, et homines vix tertio citius, aut primo et vigesimo die diutius, unquam afficiuntur. In plerisque exemplis post contagium acceptum, morbus incipit inter septimum et quartum decimum diem. Sed plerumque quamdiu febris perstat, tamdiu contagium vim possidet morbum excitandi.

Medici et nutrices, quam alii, huic contagio, dicuntur diutius resistere, utpote eidem assueti. Sed illi ipsi quoque, et alii, qui robusta constitutione, et firma valetudine fruuntur, in morbum haud semel incidunt: et, qui febre semel implicantur, a secundo aut tertio impetu prorsus immunes haud semper existunt. Hujusmodi contagioni adeo obnoxium est corpus.

Hic loci autem mihi licet, pauca verba dicere, de modo, quo hujus materiæ contagiosæ origo et effectus optime præcaveantur. Ad ea amovenda, ex quibus originem ducit, penes nos vix semper est; nihilominus vero, quantum fieri potest, sum-

ma ope niti oportet. Quibuscunque igitur locis, homines magnis numeris constipentur, aër impurus gignitur, qui purum libere immittendo, optime mutatur et corrigitur. Ad hunc finem, ostia et fenestræ domicilii, quod habitant, patefacta, ut liber sit aëris aditus, multum valent. Quo frequentius, eo melius: et hic aër externus rivo pleno per cubicula sæpius transmitti debet, quo effluvia, diluantur, et ingratus fœtor corrigatur. Hic modus ægro magnum infert levamen, quo ad sanitatem citius redit. Porro sanos secernere oportet illis laborantibus, quorum corpora et stragula munda conservanda sunt. Omnia præcipue in cubiculo sæpe et bene lavanda sunt, cujus supellex, quam ex ligneis potius ferreis rebus constare, et haud fere quidam adesse, debet, nisi quod usus postulet. Quævis autem e corpore excernuntur, tam citissime amoveri debent, quam dejiciuntur. Stragula præsertim, quam primum exuuntur, aqua frigida immergenda sunt, adeo ut præcaveantur nocivi vapores, qui ex his expositis

oriri possunt. Præter jam dicta, multa supersunt memoria satis digna. Quumque igitur oportet causas prædisponentes evitare; diætam potius optime generis sumendo, corpus roborare; animum lætum et hilarem, vacuumque timore, tenere; sub jove pleno exercitatione modica uti; et summa cura cavere ne functiones corporis perturbentur.

Monendum quoque est, ut omnes spiritum ægrorum caute effugiant, quorum corpora balneo tepido bene lavari debent, et vestimenta munda teneri, et cubicula præcipue cursu aëris puri purgari. Ad fœtorem cubiculorum purgandum, multa proposita sunt, quorum usum experientia satis comprobavit. Inter hæc tamen, quam acidi vapores, nulla melius respondent; ideoque hæ fumigationes in usu maxime sunt. Hic processus fieri facile potest, et hoc modo. Hydro-chlorici acidi vapores muriatem sodæ miscendo cum acido sulphurico in parvulis vasis, calore admoto, facile evolvuntur, et per cubiculum diffunduntur; quo fit, ut aër renovetur, et gratus fiat. Ad impu-

rum aëra cubiculi renovandum vapores acidi nitrosi, ut a Doctore CARMICHAEL SMYTH præscriptum est, maxime valent, quippe quos ægri melius ferant, quam chloricos. Utrique vero ad liberum aëris perflatum pariter conferunt.

CURATIO.

In nullo forsan quam hoc morbo, medici diversis temporibus magis diversa instituerunt medendi consilia, quod de ejus natura omnes eorum conjecturas occupavit. Qui opiniones CULLENI sequebantur, morbum putabant ex debilitate pendere. Hicce enim magnus vir ad ultimum morbi stadium animum solummodo attendebat, in quo magna debilitas adest, et quæ primo et secundo occurrebant, his signis prorsus neglexit idonea remedia adhibere. In his enim stadiis plane indicatur phlogistica diathesis, quam CULLENUS etiam vidit, sed debilitatem consequen-

tem pertimescebat. Ita medici medicinam faciebant, donec, tristi experientia docti, signa sola urgentia levanda semet gnaviter accinxerunt. Hoc modo multi morbum olim insanabilem, magna saltem in parte lethalem, effugerunt, et quasi morti inevitabili erepti, idoneis remediis bene convaluerunt.

Morbus se dividit in tria stadia, in quibus adsunt phlogistica diathesis, excitatio, et summa debilitas; ideoque in ejus curatione duæ indicationes curativæ summam attentionem sibi jure vindicant.

I. In primis diebus febris, nempe ab initio ad nonum diem, phlogisticam diathesin et excitationem oportet amovere.

II. In ultimis, ut corporis vires exhaustas sustentemus, et debilitatis signa mitigemus, summa ope niti decet.

Ad primum consilium perficiendum, nihil melius valet, quam sanguinis detractio. Quum

febris igitur acriter accedit, eamque comitatur capitis dolor, sanguinis missio, vena incisa, ad uncias viginti, aut plus minusve secundum ætatem, sexum et corporis constitutionem, capitis molestiam fere semper tollit, et in plurimis exemplis, si febrem non curtat, multo tamen mitiorem reddit. Sin tantum obtinetur febris remissio, et proximo vespere iterum ingravescunt signa, repetita venæsectio fere semper multum commodi affert, idque generaliter optimo cum eventu. Porro si haud prorsus sistitur febris, sed per duo aut tres dies miti forma producitur, et tunc gradatim cessat; et si postea capitis aut epigastrii dolores huic iterum sanguinis missioni non cedunt, hirudines partibus dolentibus applicatæ, eas molestias omnino tollunt. Hic enim modus sanguinem mittendi admodum utilis est, sed tantum in localibus vitiis. Huic vero modo nequaquam confidendum est ad febrem sedandam. Hirudines parvam tantum sanguinis vim abstrahere possunt, quæ localibus doloribus levamen in-

ferat, sed ne febris quidem progressum sistere queat. His sæpius applicatis, æger ingentem copiam sanguinis amittit sine multo commodo. Ideoque copiosa detractio est necessaria, si volumus effectum ullum permanentem obtinere, et febris vires frangere. Laxantia fere semper adhibentur, ut leniter laxa teneatur alvus, ne aliquid irritationis, fæcibus acribus, intestinis inducatur: sed purgantia in hac febre raro utilia sunt, quippe quæ et aquosas evacuationes, reddant, et ægri vires minuant, et potius febrem augeant, quam eam sedent; et nunquam in usu sunt, nisi astricta sit alvus per multos dies, et tunc maxime prosunt. Præterea febricitantes tenere oportet, in spatiosis cubiculis, ubi purum et frigidum aëra spirare possint, qui eorum vires multum reficit, et ad delirium amovendum quoque confert. Summa munditics semper est necessaria; imo ab initio febris quisque æger bene lavari debet, et munda vestimenta induere. Inter alia, affusio frigida in quibusdam exemplis, in adultis præci-

pue, levamen magnum signis omnibus adfert, si calor præsertim urget, et cutis arescit; in aliis balneum tepidum præstare invenitur. Ad sitim levandam diluentia mitia, qualia, decoctum hordei et hujusmodi alia, multum conferunt.

Emetica, præsertim si æger materia cruda laborat, quod vomitu, nausea, lingua sicca, et malo oris sapore facile dignoscitur, nonnunquam prosunt; sed non adhiberi debent, si adsit stupor vel facies rubescit, vel delirium ex inflammatione cerebri pendeat. Rarius nunc in usu sunt, et molesta signa ventriculi, enematis aut laxantibus melius levantur.

Consilium secundum optime est absolvendum, ad statum ægri animum attendendo, in ultimis febris diebus, in quibus exhaustio corporis virium, et debilitatis signa, maxime valent. In hoc igitur morbi stadio, rite perpendere oportet remedia, quæ ad propositum accommodari optime videantur. Inter hæc vinum lo-

cum primum rite tenet, et fortasse omnibus præstat: sed dilutum et caute adhiberi debet, haustibus parvis, et cum copia gradatim adaucta. Si ab ægro desideratur, plerumque bene respondere invenitur: et si convenit, pariter corporis vires sustentat, ac sitim sedat, et somnum conciliat.

Contra vero nocivum est, quandocunque pulsum accelerat, vultum rubescere facit, et calorem corporis adauget: et instanter ejus usus est sistendus. Sin delirium vexare perstat, pulsus acriter salit, adhuc indicatur sanguinis missio; sed caute fieri debet, quod æger nunc talem jacturam, qualem prius, haud ferre potest. Nunc alia remedia tentare oportet; et hirudines ad caput, vel ejus abrasio; et frigidæ applicationes aut lavatio ejusdem, opem forsan ferre potest. Emplastrum quoque vesicatorium, collo aut capiti, si stupor aut coma urgent, applicatum, interdum perutile invenitur: sed præ omnibus alvum deplere, oleo terebinthinæ, calido et leni stimulo, oportet, ne acria

in intestinis congerantur, quo fit, ut diarrhœa inducatur, qua magis lethale nihil est. Si cutis calescit, tepida lavatio prodest, et mitia diluentia sitim sedant. Denique, si vires corporis valde exhauriuntur, cum mussitante delirio, subcarbonas ammoniæ per se, aut cum aliis cordiacis conjunctus, et aër purus, ægrum maxime reficiunt.

FINIS.